

XXIV. Ita Corradus loquens ibidem de quibusdam Eccleſiis Gallicanis Cathedralibus, Metropolitanis & collegiatis, in quarum ſtatutis cavetur expreſſe, quod nullus ibidem dignitatem adminiſtrationem, perſonatum, vel officium obtinere poſſit, niſi in illis Canonibus exiſtat, ut loquitur Leo X. in concordatis inter ipſum & Franciſcum I. reſervans ſibi poteſtatem

creandi Canonicos ad effectum dumtaxat inibi obtinendi Dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium hujusmodi, & non conſequendi primam prebendam vacantem. Vide Rebuffum ad hunc textum concordatorum, ibi late tractat de hujusmodi Canonicis honorariis & titularibus.

TITULUS XX.

De Pluralitate Beneficiorum.

CAPUT I.

Semper vetita Beneficiorum pluralitas, & rationes prohibitionis.

1. De pluralitate Beneficiorum nihil expreſſe in antiquis Canonibus.
2. Dum Canones vetant aliquem ad plures Eccleſias ordinari, pluralitatem Beneficiorum damnant.
3. Quid hac de re decreverit Synodus Chalcedonenſis?
4. Decretum Synodi VII. & ratio prohibitionis.
5. Oſtenditur hoc Decreto pluralitatem Beneficiorum fuiſſe damnatam.
6. Pluralitas Beneficiorum quantumvis ſimplicium & tenuium jure Communi vetita.
7. A nonnullis in Synodo Tridentina diſtinctio Beneficiorum compatibilium & incompatibilium reprobata, & quare?
8. Singula officia ſingulis Beneficiis annexa vetant uni plura conferri.
9. Injuſta Beneficiorum pluralitas, quia unus accipit ſtipendia plurimum.
10. Fundatorum intentio per Beneficiorum pluralitatem defraudatur: & vagandi occaſio datur.
11. Pluralitas Beneficiorum ſapius juri naturali repugnat.
12. Beneficiorum pluralitas in certis circumſtantiis licita eſſe poteſt.
13. Quae circumſtantia concurrere debeant, ut pluralitas non ſit juri naturali contraria.
14. Qui titulo conſuetudinis aut diſpenſationis plura Beneficia ſecurè retinere vult, quid attendere debeat?

In Primitivis Eccleſiae canonibus nihil quidem contra pluralitatem Beneficiorum decretum legitur: eo quod Beneficiorum ab ipſis Ordinibus diſtinctio nondum invaluiſſet, neque Beneficiorum collatio ab ipſa Ordinatione ſeparata eſſet.

II. Verum cum ordinari ad aliquam Eccleſiam, eique in ipſa ordinatione adſcribi eſſet juxta illius temporis diſciplinam illius Eccleſiae Beneficium conſtitui; etiam pluribus Eccleſiis adſcribi ſive intituari idem erat, quod plura Beneficia in diverſis Eccleſiis obtinere.

Hinc quoque intelligitur, quod ubi Canones vetant quemquam duabus Eccleſiis adſcribi vel intituari, reipſa prohibuerint plura Beneficia in diverſis Eccleſiis ab eodem poſſideri: atque hoc ſenſu, veriſſimum eſt, jam pridem ſacris Canonibus pluralitatem Beneficiorum damnatam eſſe.

III. Concilium Chalcedonenſe *Can. 10.* ait: "Non licet Clericos in duarum civitatum Eccleſiis eodem tempore in catalogum referri, & in ea in qua in principio ordinatus eſt; & in ea ad quam tamquam ad majorem confugit, propter magnam gloriae cupiditatem; eos autem qui hoc faciunt, propriae Eccleſiae reſtitui, in qua ab initio ordinati ſunt, ut illic ſolum miniſtrent. Eos autem qui aſſi fuerint poſt magnam hujus & univerſalis Synodi definitionem aliquid eorum, quae ſunt prohibita, facere, ſtatuit ſancta Synodus eos proprio gradu excidere." Fragmentum ſeu ſummarium hujus Canonis reſert Gratianus *cauſ. 21. qu. 1. Can. 2.* his verbis: "Clericum in duarum Eccleſiis civitatum eodem tempore conſcribi non oportet."

IV. Idipſum generalioribus terminis decreverunt Patres Synodi ſeptimae *Can. 15.* fundamenta hujus prohibitionis exprimentes: "Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus Eccleſiis non collocetur; negotiationis enim & turpis lucri proprium eſt, & ab Eccleſiastica conſuetudine alienum. Ab ipſa enim Domini voce audivimus, non poſſe quempiam duobus dominis ſervire: vel enim unum odio habeat, & alterum diliget; vel unum amplectetur, & alterum negliget; unuſquique ergo ſecundum dictum Apoſtolicum, in eo, in quo vocatus eſt, debet manere, & in una Eccleſia aſſidere. Quae enim propter turpe lucrum ſunt in Eccleſiasticis negotiis, ea à Deo ſunt aliena."

Hic ſat aperte declarat Synodus, nullam velle permittere in duabus Eccleſiis ejuſdem Clerici eodem tempore intitulationem ſive adſcriptionem; eo quod nemo poſſit duobus Dominis, id eſt, duabus Eccleſiis ſervire; neque in duabus aſſidere, ſeu reſidere.

Si ergo Synodus improbet adſcriptionem Clerici in duabus Eccleſiis, eo quod nemo poſſit eodem tempore duobus Dominis, id eſt, duabus Eccleſiis deſervire; atque unuſquique debeat in una Eccleſia aſſidere, ſeu reſidere in qua vocatus eſt, conſequitur, quod eodem fundamento pluralitas Beneficiorum in diverſis Eccleſiis generaliter damnata cenſeri debeat.

V. Certum quippe eſt, inſpectis ſacris Canonibus, quin & jure Decretalium, atque ipſa Beneficiorum inſtitutione omne Beneficium requirere perſonalem reſidentiam, ac perſonale Officium in illa Eccleſia, in qua ipſum Beneficium fundatum vel erectum eſt; quam perſonalem reſidentiam, & perſonale officium, quia eodem tempore idem in diverſis & diſtinctis Eccleſiis praestare nequit, conſequens eſt, eodem jure, & attentà ipſa Beneficiorum inſtitutione, pluralitatem Beneficiorum non ſecus quam intitulationem Clerici in diverſis Eccleſiis eſſe generaliter interdictionem.

Unde Alexander III. in *Cap. 13.* de Præbendis ſcribens, "iſtud eſſe omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una vel diverſis Eccleſiis plures dignitates vel perſonatus obtineat" hanc aſſignat rationem "Quam ſingula officia in Eccleſiis aſſiduitatem exigant perſonarum."

VI. Hinc communiter concludunt Canonice, quod ſicuti nullum Beneficium, quantumvis tenue in provenibus, jure communi eximitur à perſonali reſidentia; ita nec ulla de jure datur Beneficia *compatibilia* ob proventuum tenuitatem, ſaltem in diverſis Eccleſiis.

Hanc in rem admodum notanda ſunt verba citati Canonis *7.* Synodi VII. quae allegatis verbis immediate ſubnectuntur: "Ad hujus autem vitae uſum ſunt diverſa ſtudia; ex iis ergo ſi quis velit, ea quae ſunt corpori ad uſum neceſſaria comparet. Dixit enim Apoſtolus, *Uſui meo & illis qui mecum ſunt ſubminiſtraverunt manus meae.*"

Hic declarat ſat dilucide Synodus, neque ad comparandum vitae neceſſaria, Clericum in diverſis Eccleſiis adſcribendum; ſed aliunde, etiam laborando manibus ſuis, potius debere ſibi de neceſſariis providere.

VII. Quapropter inter articulos nominis Caroli IX. Galliarum Regis Concilio Tridentino exhibitos decimus quartus diſtinctionem compatibilium & incompatibilium Beneficiorum, quoad pluralitatem ut novam, & antiquis Decretis incognitam exhibet, & aboleri poſtulat "Unum tantum Beneficium uni conferatur ſublata (quod attinet ad pluralitatem) compatibilium & incompatibilium Beneficiorum diſtinctionem, quae diſtinctio ut eſt nova & antiquis Decretis incognita, ita Eccleſiae Catholicae magnam calamitatem attulit."

VIII. Ulterius quia ſingula Beneficia ſua habent annexa officia, convenit, ut ſingula ſingulis committantur perſonae "Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita in Eccleſiae corpore ſecundum veridicam Pauli ſententiam, in uno eodemque ſpiritu alii conferendum eſt hoc officium, alii committendum eſt illud; neque uni quantumlibet exercitatus perſona uno tempore duorum rerum officia committenda ſunt: quia ſi totum corpus eſt oculus, ubi auditus? ſicut enim varietas membrorum per diverſa officia, & robur corporis ſervat, & pulchritudinem reſtaurat; ita varietas perſonarum per diverſa nihilominus officia diſtributa & fortitudinem & venuſtatem ſanctae Dei Eccleſiae manifeſtat. Et ſicut indecorum eſt, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium, ſimulque turpiſſimum, ſi ſingula rerum miniſteria perſonis eodem non fuerint diſtributa."

Hae ex *Can. 1. Diſt. 39.* ubi notant Correctores Romanam illa quidem non haberi in Apoſtoliſ S. Gregorii ut à Collectoribus citantur, ſed referri à Joanne Diacono lib. 2. vitae ejuſdem ſancti Pontificis *n. 54.* tamquam dicere ſolent: "Situſque Eccleſiastici juris officia ſingulis quibuſque perſonis ſingulatim committi debere, allerens, quia ſicut in uno corpore &c."

Hinc Gratianus huic Canonis praemittit hoc monitum: "In diſpenſatione verò Eccleſiae hanc regulam obſervandam noverit (Epiſcopus) ut nulli quantumvis exercitatus perſona duo ſimul committat officia."

Similiter Bonifacius VIII. in *Cap. 1. De Conſuet. in VI.* improbandam conſuetudinem retinendi plures dignitates, rationem improbandi ex ipſa pluralitate officiorum petit dicens: "Cum unum officium vix dignè valeat aliquis adimplere; quali diceret, cum unum officium vix dignè valeat adimplere, indignum eſt, plures habere dignitates, quae eum pluribus officiis obeundis aſtringunt."

IX. Inſuper ſingula Beneficia, juxta hodiernam diſciplinam, ſuos habent annexos proventus, quibus Beneficiarii tanquam Eccleſiae Miniſtri alantur. Injuſtum autem apparet, ut unus ſtipendia pluribus Eccleſiis Miniſtris deſtinata accipiat; atque hinc curſus injuſta apparet pluralitas Beneficiorum "Nonnulli (ait Concilium Lateranenſe in *Cap. 3.* de Clericis non reſid.) modum avaritiae non potentes, dignitates diverſas Eccleſiasticas & plures Eccleſias parochiales, contra ſacrorum Canonum inſtituta nituntur accipere, ut cum unum officium vix implere

Van Eſſen Jur. Eccl. P. II.

ſufficiant, ſtipendia ſibi vindicent pluſmorum.

Joannes XXII. in *Extravagante EXCRABILIS De Preb. in comm.* recenſens incommoda ex pluralitate Beneficiorum promanantia primo loco recenſet, quod "interdum unus qui unum quantumvis modicum vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vindicat ſtipendia, quae multis literatis viris vitae puritate ac teſtimonio bonae famae pollentibus, qui mendicant, poſſent abunde ſufficere, & qua diſtributione collata."

X. Ipſa quoque Beneficiorum inſtitutio & fundatio eodentem, ut plures Miniſtri conſtituantur Eccleſiae; dum igitur unus occupat plura Beneficia, contra ipſam Beneficiorum primam inſtitutionem ipſamque Fundatorum intentionem numerus miniſtrorum diminuitur; ipſique cultui divini officii detrahitur; quod etiam inter incommoda ex pluralitate Beneficiorum provenientia reponit Joannes XXII. in citata Extravagante: additque "Habentibus ipſa (plura Beneficia) paratur vagandi materia; Divini cultus minuuntur, hoſpitalitas in ipſis Beneficiis debita non ſervatur."

XI. Haec aliaque ex pluralitate Beneficiorum ſequi ſolita incommoda, reddunt plerumque pluralitatem illam illicitam, praeveniendo etiam omnem juris poſitivi conſtitutionem ſive prohibitionem efficiuntque ut conſuetudinem retinendi plura Beneficia tamquam corruptelam & abuſum reprobet Pontifex in *Cap. 1. De Conſuet. in VI.*

XII. Et Sanctus Thomas *Quodlib. 9. quaſt. 7. art. 11.* enumerans praedictas inordinationes, quas pluralitas Beneficiorum in ſe continet, dixit pluralitatem Beneficiorum non eſſe annumerandam actionibus de ſe indifferentibus ad bonum & malum; ſed annumerandam actionibus, quae abſolute conſiderate deformitatem vel inordinationem quamdam important, quae tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus, bonae efficiuntur: Sicut occidere hominem vel percutere, in ſe deformitatem quamdam inſertant; ſed ſi addatur, occidere malefactorem propter juſtitiam, vel percutere delinquentem cauſa diſciplinæ, non erit peccatum, ſed virtuoſum." Haec S. Thomas additque in numero harum actionum videtur eſſe, habere plures praebendas.

XIII. Deinde docet, quod ni concurrant circumſtantiae quae omnes illas inordinationes, quas pluralitas illa in ſe continet, abſtergant, ipſa pluralitas Beneficiorum maneat prohibita jure naturali; nullaque conſuetudine aut diſpenſatione juſtificari queat.

XIV. Quapropter qui vigore conſuetudinis aut diſpenſationis in pluralitate Beneficiorum ſecurus eſſe deſiderat, neceſſario expendere debet, an revera hujusmodi concurrant circumſtantiae, quae omnem illam inordinationem tolerant; nihilque adeo ſuperſit, quod ipſam pluralitatem jure naturali illicitam reddat; ſed ſolum jus poſitivum, conſuetudine aut diſpenſatione ſolubile obſtet, quo minus pluralitas in talibus circumſtantiis eſſet illicita: uti latius infra capite 5. oſtenditur.

CAPUT II.

Quomodo pluralitas Beneficiorum ſenſim invaluerit; & quibus potiſſimum praetextibus.

1. Beneficiorum pluralitas certis in caſibus licita; & ſi nimium extenſa.
2. Synodus VII. unum duabus Eccleſiis praefici permiſiſit.
3. Verus ſenſus Synodi.
4. Idipſum permiſiſit Synodus Emeretenſis.
5. Exponitur ſententia hujus Synodi.
6. Quomodo Decreta Synodorum contra earum mentem extenſa ſint.

Ccc

7. Ipſa

7. *Ipse pluralitas ex hac mala interpretatione multum invaluit.*
8. *Quantus fuerit abusus hujus pluralitatis in Gallia seculo 12.*
9. *Praxis multorum non censetur probata, quia dissimulatur.*
10. *Abusus hic etiam erat circa Beneficia curata.*
11. *Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. contra Beneficiorum pluralitatem.*
12. *Decretum hoc extirpando huic abusui minime suffecit.*
13. *Dispensationem expresse probans eas frequentiores reddidit.*
14. *Querela Joannis XXII. de excessu dispensationum.*
15. *Decretum hujus Pontificis contra hunc abusum.*
16. *Etiam post hoc Decretum abusus perduravit.*
17. *Commendarum usus circa Ecclesias Parochiales primus utilis.*
18. *Quomodo haec progressu temporis pallianda pluralitati Beneficiorum subservierint.*
19. *Abusus tegebatur regulâ ab Innocentio III. traditâ.*
20. *Synodi Londinensis Decretum contra hoc palliamentum.*
21. *Idem pretextus acriter rejectus.*
22. *Ostenditur, quomodo commendarum usu quidam fœderabatur.*
23. *Permittit Innocentius unum duas Ecclesias habere si una ex altera pendat.*
24. *Quomodo hac regula pallianda pluralitati Beneficiorum subservierit.*



I. Mem Beneficiorum pluralitatem pristinis Canonibus vetitam fuisse capite præcedenti ostensum est; unâque notatum, Beneficiorum pluralitatem plures inordinationes continere, ob quas etiam præveniendi omnem legem positivam, jure naturali plerumque vetita sit.

Attamen & illud animadvertendum ex sancto Thoma, posse nonnunquam circumstantias concurrere, quæ omnes inordinationes pluralitati plerumque conjunctas, abstergant, eamque inspecto solo jure naturali licitam reddant.

Cum verò casus nonnulli hujusmodi circumstantiis circumscripti in Canonibus essent expressi, mirum quomodo Clericorum multorum ambitio & avaritia, è quibus Beneficiorum pluralitas oriri solet, eos casus contra Canonum sententiam, & Patrum mentem extenderint; atque Beneficiorum pluralitati incrementum dederint.

II. Synodus œcumenica septima *Can. 15.* ad eod. districtè interdicit Clericum in duabus Ecclesiis collocari; id est juxta modernam disciplinam, in duabus Ecclesiis Beneficia esse, ut nequidem ad inopiam sublevandam id permittatur; sed velut ut potius manibus laborando victui necessaria sibi comparare studeat, uti capite præcedenti retulimus; subjungit tamen hanc cautionem: "Et hoc quidem in hac à Deo custodia civitate, In his autem quæ extrâ sunt locis, propter hominum inopiam permittatur."

III. Verus hujus Canonis sensus est, quod unus idemque Sacerdos possit duabus Ecclesiis extra civitatem constitutis deservire, dum ea est hominum in his Ecclesiis inopia, ut singulæ singulos Sacerdotes habere nequeant: quo casu ut hominum illorum necessitati, quantum possibile est, succurratur, permittit Canon, ut idem Sacerdos duabus Ecclesiis sibi vicinis deserviat.

IV. Legitur quoque in Synodo Emeretenſi anno 866. *Can. 19.* In Parochiis multæ sunt Ecclesiæ constitutæ, quæ à fidelibus factæ, aut parùm, aut nihil de rebus videntur habere. Sacerdotali ergo Decreto Presbytero, uniplures extant committæ; unde cavendum est, ne occurrente paupertate, ordo ibidem non impleatur Missæ.

Hic rursus permitti videtur Beneficiorum pluralitas, dum unum Presbytero plures Ecclesiæ extant committæ; idque Sacerdotali Decreto.

V. Verùm si rursus ex mente Concilii sensus Canonis teneatur, nihil cum verita Beneficiorum pluralitate commune eum habere apparebit. Agitur in hoc Canone de Ecclesiis haud parum fundatis in eadem Parochia existentibus, in quibus Missæ per certos dies celebrari debebant; quæ facile per unum Sacerdotem celebrari poterant; idcirco quæ incongruum non habebatur unum Sacerdoti earum Missarum, accedente præsertim Ecclesiarum paupertate, celebrationem committere: hocque sollicitè eodem Canone cavetur, ut Presbyter ille, juxta Episcopi jussionem in iis Ecclesiis Missarum solemnia congruo tempore persolvat.

Hic igitur Canonibus permittitur unum Sacerdoti duabus Ecclesiis deservire; sed eo dumtaxat casu, quo utriusque simul per se satisfacere potest; & Ecclesiarum vel populi necessitas & servitium id postulant.

VI. At unâ cum seculis labente Ecclesiasticâ disciplinâ, quod hinc ac similibus Canonibus canonicè decretum fuit, hominum avaritia & ambitio in proprium commodum detorserunt; atque in pallium pluralitatis Beneficiorum quorumcumque, etiam curatorum, & dignitatum, idque in Ecclesiis quantumvis à se procul distitis, assumpserunt; præsertim in invalescente seculo nono & sequentibus pernicioso illo, & melioribus temporibus inauditò principio, quod quis officio & oneribus Beneficiorum etiam Curatis annexis per alium satisfacere posset; ac per consequens, nec personaliter in loco Beneficiorum residere teneatur: quæ tamen personalis residentia obligatio præcipuum erat incompatibilitatis fundamentum.

Quanto impetu, hoc principio semel admisso, Beneficiorum quorumcumque pluralitas propagata fuerit, ex Decretis conciliorum quæ ei opposita fuerunt innotescit.

VII. Synodus Parisiensis anno 829. *Can. 49.* hujus excessus locupletissimum testimonium reddit. Primò itaque ponit hanc generalem regulam: "Sicuti unicuique civitati convenit proprium habere Episcopum, ita & unamquamque Basilicam Deo dicatam decet & oportet proprium habere Presbyterum."

Positâ hac regula subdit: "Avaritia sanè, quæ est idolorum servitus, quod non sine magno pudore prosequimur, quosdam in vaſis presbyteros, suisque retinaculis ad eod. vinxit, captivosque effecit, ut instar cæcorum effecti, neſciant quo eant, neſciantque quid esse, vel quid agere debeant. Hi namque ignibus avaritiæ æstuant, sacerdotalisque dignitatis immemores, curam Basilicarum in quibus promoti sunt, postponentes, datis quibusdam xemis, aut pollicitis non solum à Clericis, verum etiam à laicis, alias basilicas contra fas ad Christi famulatum peragendum suscipiunt."

Deplorat post hæc quod hinc "religio Christiana suscatur, & sacerdotalis ordo confunditur, imò avaritia Sacerdotum à subditis denotatur, locaque Deo dicata cultu sibi debito privantur, & animarum pericula generantur."

VIII. Cum autem abusus hic admodum faveret avaritiæ & ambitioni hominum, neque pretextus eum palliandi deessent, continuo collabentibus seculis magis invaluit, uti ex multiplicibus Conciliorum Decretis intelligi potest: in tantum ut & in ipsa Gallia consuetudo perverſa retinendi plura Beneficia ita invaluisse seculo 12. ut teste Alexandro III. in *Cap. 15.* "De Prabendis, præ multitudinem delinquentium emendari non posset; ita enim scribit ad Genuensensem Archiepiscopum: "Cum non ignores, quod una Ecclesia unus debet esse Sacerdos, mirabile gerimus & indignum quod uni personæ locum in pluribus Ecclesiis velis concedere, vel in Episcopatu tuo inducere consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ: quæ cum unum ad plura recipiat Beneficia, contra sanctorum Canonum instituta, non appro-

approbatur à nobis licet non possit præ multitudinem delinquentium emendari." Ita legitur in integra Decretali.

IX. Occasione hujus Decretalis observandum, nullatenus inferri posse, consuetudinem aliquam approbatam, tametsi multitudinem habeat sequentem, & pro tempore ab Ecclesia toleretur. Id ipsum in hac eadem materia probat Innocentius III. in *Cap. 18.* "eod. subiciens hanc regulam: "Cum multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente justitiâ non debeant tollerari."

X. Nec tantum hic abusus circa Beneficia simplicia, sed etiam circa Parochiales Ecclesias, cum summo animarum periculo eod. excreverat, ut non duas, vel tres, sed sex aut plures Ecclesias plurimi haberent, quemadmodum testatur Concilium Lateranense sub Alexandro III. *Cap. 14.* quod & huic abusui occurrere volens, sequens edidit Decretum relatum in *Cap. 3.* "De Clericis non resid." "Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diversas Ecclesiasticas & plures Ecclesias Parochiales, contra sanctorum Canonum instituta nituntur accipere, ut cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum: ne id de cætero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur Ecclesia vel Ecclesiasticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona queratur, quæ residere in loco, & curam ejus, per seipsam valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit: & qui receperit, quod contra sacros Canones accepit amittat: & qui dederit, lar-giendi potestate privetur."

XI. Abusui tam abominando, sed multorum avaritiæ & ambitioni admodum opportuno, extirpando, haud sufficiebat hoc Synodale Decretum; imò teste Concilio Lateranensi sub Innocentio III. "propter præsumptiones & quorundam cupiditates, nullus hæctenus aut rarus de prædicto statuto fructus provenerat."

Itaque hoc Concilium efficacius remedium adhibere desiderans, statuit, "ut quicumque receperit aliquod Beneficium habens curam animarum annexam, si prius tale Beneficium obtinebat, eo sit jure ipso privatus: & si forte illud retinere contenderit, alio etiam spoliatur. Is quoque ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè conferat cui merito viderit conferendum: & si ultra tres menses conferre distulerit, non solum ad alium, secundum statutum Lateranensis Concilii, ejus collatio devolvatur: verum etiam tantum de suis cogatur provenibus in utilitatem Ecclesiæ, cuius illud est beneficium, assignare, quantum à tempore vacationis ipsius constiterit ex eo esse perceptum. Hoc idem in personatibus decernimus observandum: addentes ut in eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiam si curam non habeant animarum."

XII. Hoc rursus Decretum, licet in pluribus pro tempore duritia condescendens, sive dissimulans; utpote nihil de pluralitate præbendarum, neque Beneficiorum curati cum Canonicatu aut alio simplici beneficio disponens, neque sumum habuit effectum.

Et quidem anno 1237. id est viginti annis ab edito hoc Decreto, cum in Synodo Londinensi per Legatum Sedis Apostolicæ convocata statutum hoc pronuntiaretur, tanta multitudo obtinentium plura beneficia reperta est, tantusque tumultus excitatus, ut ab executione Decreti superseclerè coactus fuerit Legatus. Habetur tom. II. Concil. col. 525. & sequentibus.

XIII. Præterquam quod prædictum Decretum tantum loqueretur de pluralitate beneficiorum curatorum, Dignitatum & Personatum, pluralitatem aliorum beneficiorum dissimulando, addidit insuper hanc clausulam: "Circa sublimitatem tamen & litteratas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari."

Quia hac expressione Decreti quo pluralitas damnabitur Van Espen Jur. Eccl. P. II.

via quodammodo justificandi ostendebatur, & dispensatio contra legem probabatur, & quasi offerebatur, ipsa dispensationes adeo fuisse frequentes, ut tandem tanquam jus ordinarium invaluisse viderentur; uti non obscure significat Decretum Concilii Lugdunensis in *Cap. 3. De Officio Ordinarium VI.* id unum permittens Ordinariis locorum, ut Subditos suos plures dignitates vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet obtinentes: seu Personatum aut Dignitatem cum alio Beneficio, cui cura similis est annexa: districtè compellant, dispensationes quarum auctoritate eas Canonicè tenere se asserunt, intra tempus profacti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbitrio, exlabere." Et si non exhibuerint, tunc Ecclesiæ, quas sine dispensatione illicitè detineri constiterit, liberè possint conferri aliis per eos, ad quos collatio earum pertinet.

"Cæterum (ait Concilium) si dispensatio exhibita, sufficienter evidenter appareat, exhibens nequaquam in Beneficiis hujusmodi, quæ canonicè obtinet, molestetur. Provideat tamen Ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem Ecclesiis, personatibus, seu dignitatibus negligatur: nec Beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur. Si verò de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur, super hoc erit ad Sedem Apostolicam recurrendum: cuius est arbitrio, quem modum sui Beneficii esse velit."

Hic patenter indicatur, quàm frequens esset dispensationum usus, & quàm difficulter Ordinarii Clericos ad dimissionem Beneficiorum cogere possent, modo saltem dispensationem in consueta forma expeditam proferre possent, imò quodammodo ipsis Ordinariis præciperetur, ne Clericos simili dispensatione munitos turbarent.

XIV. De multiplici hac dispensatione à Pontificibus obtenta seu potius exorta conqueritur Joannes XXII. in *Extravagante 2. De Prabendis in Communib.* dicens: "Execrabilis quorundam tam Religiosorum, quàm Secularium ambitio, quæ semper plus ambiens, eò magis insatiabilis creditur, quo sibi amplius indulgetur, & improbitas importuna petentium à nobis & prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus non tam obviuisse, quàm extorsisse plerumque noscuntur, ut unus interdum etiam ad unum Beneficium Ecclesiasticum minus idoneus, in diversis Ecclesiis nedum vicinis, sed ab invicem longè distantibus, imò nonnunquam in diversorum regnorum partibus situatis, plures quàm duas vel tres, aut plures etiam dignitates, vel personatus, officia seu Prioratus, aut diversa Ecclesiastica Beneficia curam animarum habentia possit dispensative, cum aliis non liceret de jure communi, recipere, & simul licitè retinere."

XV. Post hæc enumeratis incommodis quæ ex hac pluralitate in Ecclesiam redundant, subdit: "Nos itaque tot malis tantisque discriminibus occurrere cupientes, omnes & singulas dispensationis super receptione ac retentione plurium dignitatum, personatum, officiorum, Prioratum, aut Beneficiorum, quibus cura sit animarum annexa, sub quacumque forma vel expressione verborum à nobis, vel dictis prædecessoribus nostris cuicumque personæ concessas. (Cardinalibus tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ qui circa nos universali Ecclesiæ serviendo singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendunt: ac Regum filiis, qui propter sublimitatem eorum ac generis claritatem sunt potioris prærogativæ gratiæ attollendi, dumtaxat exceptis) deliberatione super hoc cum fratribus nostris habitâ diligentia de ipsorum consilio & ex certa nostra scientia in forma subscripta duximus taliter moderandas, quòd per moderamen nostrum effrenatam circa easdem personas talium Beneficiorum multitudinem retinemus, ipsique impetrantes fructu dispensationum hujusmodi totaliter non frustrentur."

XVI. Verum experientia nimis quàm compertum est, quàm velociter reviviscant abusus, ubi radicatus extirpati non sunt; quamque ipsa Decreta soleant esse inefficacia, dum